Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift

construxit. In cuius locum honorius archiepiscopus ordinauit ythamar. oriundum
quidem de gente cantuariorum. sed uita et eruditione antecessoribus suis e-
quandum. Habuit autem oswiu primis regni sui temporibus consortem regie dignita-
tis. uocabulo oswini. de stirpe regis eduini. hoc est filium osrici. de quo
supra retulimus. uirum eximie pietatis et religionis. qui prouintie deirorum
.vii. annis in maxima omnium rerum affluentia. et ipse amabilis omnibus pre-
fuit. Sed nec cum eo ille. qui ceteram transhumbrane gentis partem ab aquilo-
ne. i. berniciorum prouintiam regebat. habere potuit pacem. quin potius ingra-
uescentibus causis dissensionum. miserrima hunc cede peremit. Siquidem
congregato contra inuicem exercitu. cum uideret se oswini cum illo qui plures
habebat auxiliarios. non posse bello confligere. ratus est tunc dimissa intentio-
ne bellandi. seruari se ad tempora meliora. Remisit ergo exercitum quem con-
gregauerat. ac singulos domum redire precepit. a loco qui uocatur uulfaresduun.
i. mons uulfari. et est a uico cataractone. x. fere milibus passuum. contra sol-
sticiale occasum secretus. diuertitque ipse cum uno tantum milite sibi amicissimo.
nomine tondheri. celandus in domum comitis hunwaldi. quem et ipsum sibi ami-
cissimum autumabat. Sed heu pro dolor longe aliter erat. Nam ab eodem co-
mite proditum. eum oswiu cum prefato ipsius milite. per prefectum suum edilwi-
num. detestanda omnibus morte interfecit. Quod factum est die. xiii. kal.
sept. anno regni eius. viiii. in loco qui dicitur ingetlingum. ubi postmodum ca-
stigandi huius facinoris gratia. monasterium constructum est. in quo pro utriusque
regis et occisi uidelicet et eius qui occidere iussit. anime redemptione. cottidie
domino preces offerri deberent. Erat autem rex oswini et aspectu ue-
nustus. et statura sublimis. et affatu iocundus. et moribus ciuilis.